



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Quaestio 100. An ecclesiastica sacramenta neganda sint relapso  
poenitenti, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

unde in concilio Narbonensi cap. 11. ita scriptum est: Et illos qui post abiurationem erroris sed purgationem deprehensi fuerint in abiuratum haeresim recidisse, seculari iudicio sine ulla penitus audientia relinquatis animadversione debita punietur, cum sufficiat tales per falsam conversionem semel ecclesiam decepsisse. hac ibi.

Huc spectat praesumptio illa de geminatis actibus prauiis, quae etiam extra hoc crimen in multis causis singulares parit effectus: nam, ut verbi gratia, unum proferam exemplum, si aliquo statuto caueri contingat, ut, qui delictum aliquod committit, pena pecuniaria mulctetur, & accusatus conuincatur aliis id delictum commississe, pena mortis afficiendum tradunt Bar. Bal. Ang. Ioannes de Platea, & alij, in l. 1. C. de super exactionibus, lib. 10. quos refert & sequitur multa in eandem sententiam commemoras Marfilus singulari 378. incip. Geminatio actus.

Ad haec, consuetudine delinquendi pena augetur. Ioannes de Platea praecitato loco. facit tex. in l. facultas. C. de iure fisci. l. 3. C. de episc. audient.

Postremo, quoniam remissionem veniam crimina, nisi semel commissa non habent, ut dicitur textus in dicta l. 3. C. de episc. audient. de quo vide glossam in extrauagan. Ioannis XXI. tit. de sent. excom. in verbo, secundo.

Hac ergo cum ita se habeat, non mirum si Ecclesia relapsos velut inuites, & semp infeltes, & criminibus conceptis perseuerantes a se iudicet merito expellendos, & iudicibus secularibus relinquendos.

Ille quoque questio hic declarari poterat: An relapsus penitens, qui se ipsum defert & accusat coram iudicibus fidei, misericordia dignus sit, & admitti debeat; sed eam copiose explicauimus supra in hac 3. par. tit. de sermone generali habendo, num. 56. §. sed quid si relapsus.

Q V A E S T I O C.

An ecclesiastica sacramenta neganda sunt relapso penitenti, &c.



Entesima questio est: Vtrum Episcopus & Inquisitor relapso penitenti tradendo curiae seculari, possint denegare, si petat humiliter ecclesiastica sacramenta?

Respondemus quod non Penitentia & Eucharistiae sacramenta, ut patet in c. super eo. de haere. lib. 6. ubi dicitur sic: Super eo quod scriptum legitur ecclesia nulli claudit gremium redeuntis; quodque ij, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprii antistitis exanigatione purgauerint, si deprehensi fuerint in abiuratum haeresim recidisse, seculari decernuntur iudicio, sine ulla penitus audientia delinquendis; cum scriptura huiusmodi videantur sibi inuicem aduersari, quid tenendum sit, per sedem edoceri Apostolicam postulastis. Nos itaque inquisitioni uestrae de Fratrum nostro rum consilio respondemus, quod taliter deprehensis, etiam si (ut dictum est) sine ulla penitus audientia relinquendi sint iudicio seculari: si tamen post modum

peniteat, & penitentiae signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt humiliter petita sacramenta Penitentiae ac Eucharistiae deneganda.

COMMENT. CI.

Haereticis relapsis vita corporalis denegatur, ut superiori quaestione dictum est, spiritalis tamen conceditur, quam accipiunt virtute deorum sacramentorum Penitentiae & Eucharistiae.

Veruntamen ut relapsis haec tanta sacramentorum munera tribuantur, magna conuersionis & contritionis signa appareant oportet, ne sacramentis ipsis fiat iniuria, si hominibus pollutis iniuste conferantur.

Propterea autem manifeste conuersionis signa postulat summus Pontifex in relapsis, ad hoc sacramenta Penitentiae & Eucharistiae illis tribuantur: quoniam, ut paulo antea dicebamus, is, qui bis labitur, non facile praesumitur vere conuerti.

Non tamen est dandum ultimo supplicio afficiendis (ut parum vere quidam olim putabant) sacramentum Extreme vnctionis: quoniam id sacramentum infirmorum est. B. Thomas in 4. sent. dist. 23. q. 2. art. 2. estq. communis Theologorum sententia. Repertorium Inquisitorum verbo, sacramentum. §. superius. Simancas de catho. instr. tit. 57. num. 16. & alij.

Postremo, de materia huius quaestiones videndus est idem Eymericus, 3. par. in nono modo processum fidei terminandi. & Doctores communiter in c. super eo. de haere. lib. 6.

Q V A E S T I O C I.

De modo tradendi haereticum impenitentem, vel relapsum curiae seculari.

S V M M A R I V M.

- 1. Haereticus penitens vel relapsus, si praesens sit, a foro ecclesiastico eicitur iudice seculari praesente.
- 2. Curia secularis reiectum in suam potestatem accipit.
- 3. Si vero sit absens sit per sententiam talis eieccio.
- 4. Et iudex secularis, si quando illum habere poterit, officio suo fungetur.

Entesima prima questio est: Vtrum Episcopus & Inquisitor impenitentes & relapsos debeant tradere manualiter, & realiter curiae seculari, seu qualiter sit traditio huiusmodi faciendae?

Respondemus, quod relapsus praedictus, seu haereticus impenitens, uel est praesens, uel est absens; si est praesens, tunc Episcopus & Inquisitor per legatos potestate curiae secularis, ut habetur in c. Excommunicamus 1. in prin. & c. Excommunicamus 2. extra de haeret. declarabunt eum relapsum, uel impenitentem esse, expellendo eum de foro ecclesiastico, & relinquendo eum brachio seculari, & foro curiae secularis, ut tradat iudici suo. Et tunc curia secularis, quae ibi est, ipsum recipit ut relictum eius foro & brachio: & hoc est praesentem tradere seu relinquere brachio seculari:

Relapsus conuersus que sacramenta tribuantur.

Morte peccatis non datur sacramentum extreme vnctionis.